



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VIII. Hodie eorum assensus non censetur necessarius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

Hugonis Regis, qui felicibus auspiciis regnum Francorum indeptus est, propagatam fuisse, nemini dubium esse poterit qui immensum illud Decretalium corpus ab Alexandro III. & Innocentio ceterisque Pontificibus editarum respiciet. Eæ enim ecclesiasticarum legum vires in judiciis & magistratuum regionum tribunalibus obtinent; si paucas quasdam epistolas Decretales demas, quæ usu receptæ non sunt, ob eas rationes quas alibi expendimus.

VII. Olim quidem unà cum synodorum tractatu negotia universalis Ecclesiæ procurabant Summi Pontifices. Sed posterioribus temporibus in consilium adhibuerunt Cardinales, postquam jurassent tempore inaugurationis, (juxta veterem formulam, quæ extat in Collectione Canonum Cardinalis Deusedit, & in libro Diurno Bibliothecæ Vaticanæ) se ministerium suum cum consilio Cardinalium gesturos. Vnde factum ut quamplurimæ Constitutiones de consensu Cardinalium factæ dicantur. Iam inde à Petri Damiani temporibus, id est, anno M L X I. Episcopi Cardinales eum locum tenebant, ut de illis Damianus dixerit: *Patriarcharum & Primatum jura transcendunt, & super ipsos quoque Pontifices authenticam prevalent proferre censuram.* Vnde Coadjutores & Collaterales Papæ dicuntur à Bernardo; qui addit in eorum commendationem: *Annon eligendi de toto orbe, orbem judicaturi.* Eo tempore jus illud sibi vindicabant Cardinales, ut unum essent cum Papa corpus ad universalem Ecclesiam ordinandam. Commoti enim contra Episcopos Gallicanos, & beatum Bernardum, quòd aliqua de fidei negotio definivissent, aiunt Eugenio: *Per nos tanquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis;* ut observavit Otho Frisingensis, qui alia eorum verba ad Eugenium subdit: *Ecce Galli isti etiam faciem nostram contemntes, super capitulis quæ his diebus, nobis assidentibus, agitata sunt, tanquam finitive sententiæ ultimam manum imponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere presumpserunt. Cerè si in Oriente, utpote Alexandria, vel Antiochia, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiti valeret auctoritate.* Quare mirandum non est quod Ostiensis Cardinalis docet, *Cardinalem loco universalis Ecclesiæ suum habere officium.* Ioannis de Turrecremata in eandem sententiam hæc sunt verba: *Dominorum Cardinalium consilio & assensu Summus Pontifex regit, disponit, atque gubernat universalem Ecclesiam.*

VIII. Hodie tamen eo jure utitur Ro-

manus Pontifex, ut eos quidem in consilium adhibeat, sed eorum assensu non indigeat; testibus Illustr. Card. Bellarmino, Azorio, & ceteris scriptoribus.

C A P V T X.  
Synopsis.

I. *Judicia Romani Pontificis in causis à provinciis delatis. Probatio difficilis, si jure appellationum nuntatur, ante Concilium Sardicense.*

II. *Novatio aperta, per Relationes, & Consultationes. Quibus Principum Romanorum cognitio constabat.*

III. *Earum usus in Ecclesia, in dubiis fidei & disciplina. In Relationis suscipiende Metropolitani & Patriarchis debetur, ex Hieronymo. Sed præcipue Romano Pontifici ex Oriente & Occidente; ut probatur ex Hieronymo, & Cyrillo Alexandrino.*

IV. *In Occidente Relatio de dubiis fidei Romam missa à Conciliis Africanis, ut gesta firmarentur. Innocentius hæc Relationes sedis sue vindicat ex consuetudine, & ex canone.*

V. *De dubia disciplina referebatur ad sedem apostolicam, à Siricio & Innocentio. Responsiones pro jure constituto habita.*

VI. *Ante Concilium Nicanum, causa dubie relata ad sedem apostolicam ex consuetudine, que confirmata est canone Concilii Niceni, ut probatur ex Innocentio, nova interpretatione adhibita. Majores causæ, id est, ambiguae.*

VII. *Hincmari explicatio refellitur, qui alludit ad Sardicense Concilium.*

VIII. *Exemplum vetustissimum Relationis à Cypriano. Marcianus Arelatensis Episcopus deponitur decreto Romani Pontificis, ad relationem Episcoporum Gallicanorum, ex sententia Cypriani.*

IX. *Ante Concilium Sardicense Galli usi Relationibus, & postea Appellationibus ad sedem apostolicam.*

X. *De Relatione Conciliorum Generalium ad Summum Pontificem.*

I. **V**T legis ferendæ jus, ita & ultima judicia penes Imperatores olim fuere, qui aut ipsi cognitionem suscipiebant, aut concessa jurisdictione Præfæctis prætorio, vel ceteris magistratibus, vice sacra judicandi potestatem præbebant, appellandi ab eorum sententiis facultate interdicta. Nunc inspiciendum est, an Romani Pontificis judicia nulli essent appellationi obnoxia, & in eo conferri possent cum Cognitionibus Principis. Iudicia autem illa exercebantur, aut ratione habita eorum negotiorum quæ ad provinciam Romanæ metropoleos pertinebant, aut eorum quæ in ceteris provinciis oriebantur. Vtroque casu, ab ipsius Ecclesiæ cunabulis, Pontifices suprema & principali in judiciis reddendis auctoritate viguerunt. Quod ad Romanam metropolim attinet, non est quòd diù in eo capite probando

E

Cap. Apostolicæ de te judic. cap. 1. de schismat. cap. licet. cap. Ecclesiæ de Elect. cap. 1. de remunc. in 6. cap. cum inter. de consuetud. Clam. ne Roman. in Clem. plebisc. que de Elect. & passim in Bullis.

Bernard. de Con. sid. l. 4. c. 4.

Otho Frising. lib. 1. de Gestis Frid. 6. 17.

Ioan. de Turrecrem. lib. 1. de Elect. c. 20.